ROMANA PRÆTENSÆ PROROGATIONIS CAPITVLI GENERALIS PRO RR. PP. MAGISTRIS, ET VOCALIBVS Ordinis Eremitarum Sancti Augustini.

SVMMARIVM.

SIXTUS PAPA V.

AD PERPETVAM REI MEMORIAM.

Num. 1 *Motus proprius Sixti Quinti, quod Officium Generalatus non prorogetur vltra sexennium.*

§. 1. EXigit incumbentis Nobis Apostolicæ seruitutis Officium, vt in Religiosorum sodalitatibus, quos ideò Altissimus in suum sibi Sanctuarium ad cæteros fideles viam salutis docendam segregauit, quid cuique semper expediat, saluberitèr prouideamus.

§. 2. Licèt itaque Priores Generales Ordinis Fratrum Eremitarum S. Augustini à tempore immemorabili fuerint perpetui, nisi per cessum, vel decessum, seù assumptionem ad maiorem dignitatem, aut etiam quandoque per depositionem oportuerit nouum Generalem eligi, & hic mos incorruptè seruatus fuerit, vsque ad præsens tempus, nihilominùs hæc Religio à primæua eius propagatione, singulo quoque anno, deinde verò, crescente numero, & Fratrum, & domorum eiusdem Ordinis, singulo quoque triennio Capitulum Generale, in quo eligebatur Prior Generalis dicti Ordinis, vel confirmabatur, vel etiam quandòque amouebatur, celebrare solebat: Post aliquod verò tempus ad quadriennium celebratio dicti Capituli extensa fuit, qui mos perdurauit vsque ad annum Domini M. D.LXXV. quo tempore, dum in hac Vrbe huiusmodi Capitulum fieret, in gratiam Fratrum, qui sunt in Prouincijs Vltramarinis, statutum fuit, quod singulo quoque sexto anno huiusmodi Capitulum celebraretur.

§. 3. Cum autem nihil reperiatur per Sedem Apostolicam Statutum, quo Prior Generalis dicti Ordinis, aut perpetuus, aut temporalis esse debeat, animaduertamusque Statutum prædictum ad vsum reuocandum, & huius Ordinis Fratribus commodum, & necessarium existere; Motu proprio, & ex certa nostra scientia, & de Apostolicæ potestatis plenitudine harum serie statuimus, & ordinamus, quod electio personæ in Priorem Generalem dicti Ordinis, quæ fiet in Capitulo Generali in proximo festo Pentecostes celebrando facienda, ad sexennium dumtaxat duret, quodque illis elapsis, perpetuis futuris temporibus Capitulum Generale dicti Ordinis singulo quoque sexennio celebrari debeat, in quo semper nouus Prior Generalis eligatur, & nunquam idem confirmetur.

§. 4. Quo circa omnibus, & singulis dicti Ordinis Professoribus huic negotio incumbentibus in virtute Sanctæ Obedientiæ, & sub Excommunicationis Sententia eo ipso per Contrafacientes incurrenda, præcipimus, quatenus singulo quoque sexennio ad noui Prioris Generalis dicti Ordinis electionem, quibuscumque rebus posthabitis, procedant, nec ipsi, seù tunc existens Prior Generalis, aut quiuis alius quacumque dignitate, etiam Cardinalatus honore fulgens, seu ipsius Ordinis Protector, quacumque de causa, etiam vrgentissima, confirmationem, siue extensionem dicti Officij in aliud etiam breuissimum tempus à Romanis Pontificibus successoribus Nostris, & Sede Apostolica petere, & obtenta, vti audeat, vel præsumat, itaut elapso dicto sexenio, prædictum Officium Prioris Generalis ipso iure vacet, & vacare censeatur. Decernentes talitèr factas electiones, & confirmationes, nullas, & irritas, nulliusque roboris, vel momenti fore, & esse.

§. 5. Non obstantibus præmissis, ac Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, & dicti Ordinis, iuramento, confirmatione Apostolica, vel quauis firmitate alia roboratis, statutis, & consuetudinibus, priuilegijs quoque indultis, & litteris Apostolicis in contrarium quomodolibet concessis, confirmatis, & innouatis. Quibus omnibus, illorum tenores præsentibus pro expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialitèr, & expressè derogamus, cæterisque contrarijs quibuscumque.

Datum Romæ apud S. Petrum sub annulo Piscatoris die 14. Maij 1587. Pontificatus Nostri Anno tertio.

Num. 2. *Petitiones PP. Assistentium Hispaniarũ, & Galliarum, registratæ in Sec. Mem. S. D. Papæ.*

Die 17. Maij 1690.

Fra Giuseppe Guerrero Agostiniano supplica venghi prorogato il Capitolo Generale.

Rescritto. Al Sig. Cardin. Protettore.

Adi 17. Maggio 1690.

Frat[e] Agostino Lubin Agostiniano supplica, che si sospenda la celebratione del Capitolo Generale.

Rescritto. Al Sig. Cardin. Protettore.

MAG. FR. FVLGENTIVS TRAVALLONI
à Monte Elparo Georginas,
Totius Ordinis Fratrum Eremitarum S. P. N. Augustini
Prior Generalis.

Num. 3. *Litteræ P. Generalis, cum insertione Breuis prorogationis Capituli Generalis.*

Venerabilibus in Christo Patribus, ac Fratribus eiusdem Ordinis, ac voti, salutem in Domino sempiternam.

EXitum officij nostri cum emenso iam laborioso quinquennio spectaremus essuri mollem dignioribus humeris, Capituli Generalis tẽpus, & Nobis Generalatus munus suprema Apostolicæ Sedis auctoritas ad triennium, quamuis indignissimis, prorogauit. Id verò, licèt reformidaremus, vt molestum est nautis cum vicino portu Nauicula ref[l]antibus auris inhibetur,

inhibetur, & in medias denuò tempestates abripitur, nihil tamen debuimus magis quàm imperata facere, & quod altiori paratum est manu, atque consilio, obedientèr accipere. Quare Generalia Ordinis Comitia ad annum, qui supra millesimum & sexcentesimum nonagesimus quartus habetur, dilata esse, notum omnibus facimus, & declaramus virtute Apostolici Breuis, cuius tenorem adijcimus, videlicet.

ALEXANDER PAPA VIII. AD FVTVRAM REI MEMORIAM.

CVM Sicut accepimus, dilectus filius Fulgentius Trauallori Prior Generalis Ordinis Fratrum Eremitarum Sancti Augustini ad officium Prioris Generalis huiusmodi, in proximè præterito Capitulo Generali dicti Ordinis electus, necnon dilecti filij moderni Procurator Generalis, & Assistentes Generales eiusdem Ordinis, siue in dicto Capitulo Generali similitèr electi, siue auctoritate Apostolica deputati in obeundis sibi demandatis respectiuè muneribus, hactenùs summa fide, prudentia, charitate, & integritate se gesserint. Tempus vero ad quod illis officia prædicta respectiuè delata fuerunt anno proximè venturo, quò nouum Capitulum Generale iuxta Constitutiones Ordinis prædicti celebrari deberet, expiratum sit, nec Capitulum Generale huiusmodi, ob præsentes bellorum motus, absque grauibus difficultatibus, atque Capitularium incommodis congregari valeat. Hinc est, quod Nos felici, prosperoque ipsius Ordinis regimini, & gubernio consulere cupientes, ac dicti Fulgentij Prioris Generalis, reliquorumque Fratrum supradictorum singulares personas à quibusuis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, alijsque Ecclesiasticis sententijs, censuris, & pœnis à iure, vel ab homine quauis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt ad effectum præsentium tantum consequen. harum serie absoluen. & absolutas forè censentes, Motu proprio, ac ex certa scientia, & matura deliberatione nostris, deque Apostolicæ potestatis plenitudine, & ipsi Fulgentio Priori Generali, alijsque Fratribus supradictis Prioris Generalis, ac Procuratoris Generalis, & Assistentium Generalium dicti Ordinis Officia eis respectiuè, vt petitur delata ad triennium à fine temporis supradicti computandum, cum omnibus, & singulis præeminentijs, prærogatiuis, facultatibus, auctoritate, priuilegijs, gratijs, & indultis, ac honoribus, & oneribus solitis, & consuetis, tenore præsentium prorogamus, ac extendimus, & ampliamus. Mandantes propterea in virtute sanctæ obedientiæ, ac sub indignationis nostræ, alijsque arbitrio nostro imponendis pœnis, omnibus, & singulis dicti Ordinis Superioribus, Fratribus, & personis, cæterisque ad quos spectat, & spectabit in futurum, vt eundem Fulgentium Priorem Generalem, aliosque Fratres supradictos in suis respectiuè officijs prædictis, illorumque libero exercitio iuxta tenorem præsentium continuare sinant, & permittant, eisque in omnibus ad officia huiusmodi pertinentibus prompte pareant, & obediant, faueantque, & assistant respectiuè. Ac decernentes easdem præsentes litteras, firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac ipsi Fulgentio Priori Generali, cæterisque Fratribus supradictis in omnibus, & per omnia plenissimè suffragari. Sicque in

præ-

præmissis per quoscumque Iudices Ordinarios, & Delegatos, etiam Causarum Palatij Apostolici Auditores iudicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, si secus super his à quoquam quauis auctoritate scientèr, vel ignorantèr contigerit attentari. Non obstantibus præmissis, ac Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon dicti Ordinis, etiam iuramento, confirmatione Apostolica, vel quauis firmitate alia roboratis Statutis, & Consuetudinibus, priuilegijs quoquè, indultis, & litteris Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innouatis: Quibus omnibus, & singulis illorum tenores præsentibus pro plenè, & sufficientèr expressis, & insertis haben. illis aliàs in suo robore permansuris ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialitèr, & expressè derogamus, cæterisque contrarijs quibuscumque. Volumus autem, vt earundem præsentium litterarum transumptis, seù exemplis, etiam impressis, manu alicuius Notarij publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsùs fides, tàm in iudicio, quàm extra illud, vbique locorum habeatur, quæ ipsis præsentibus haberetur, si exhibitæ forent, vel ostensæ. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Maiorem sub Annulo Piscatoris die xxij. Iulij M. DC. XC. Pontificatus Nostri Anno Primo.

I. F. Cardin. Albanus.

¶ Vos igitur omnes pro ea, quam Religioni debitis fide, ac pietate supplices apud Deum Opt. Max. preces fundite, vt Sanctitati Suæ vitam, & imperium felicitèr proroget, & lumen gratiæ suæ, quo ad graue onus substinendum regamur, misericorditèr Nobis impertiatur. Benè in Domino valete. Romæ 15. Augusti 1690.

Fr. Fulgentius Traualloni Prior Generalis.

Nostri muneris afixo sigillo.

Mag. Fr. Nicolaus Serani Ord. Secret.

Regist. lib. 6.

Num. 4. *[...]e Constit. Ordinis [...]rum Eremitarum [...]ti Augustini, part. [...]p. 3.*

Capitulum Generale totius Ordinis Nostri de sexennio in sexennium omninò celebrari mandamus loco determinato per Definitores præcedentis Capituli Generalis in diuersis Regionibus ad honorem Ordinis, &c. Hæc autem alitèr disponere Prior Generalis minimè poterit, nisi interueniente aliqua vrgentissima necessitate, & consensus adesset Summi Pontificis tempore existentis.

INNOCENTIVS PAPA DECIMVS.

Ad futuram rei memoriam.

Num. 5. *[...]eue Innocentij X. [...]ans prorogationẽ [...]tuli Generalis a [...]per Vrbanũ VIII.*

Commissi nobis à Domino Pastoralis officij ratio postulat, vt in his auctoritatis nostræ partes propensis studijs interponamus, per quæ fælici personarum Altissimo sub suaui Religionis iugo famulantium statui, & gubernio salubritèr consuli cognoscimus. Cum itaque impedimenta, propter quæ celebratio Capituli generalis Fratrum Erem. Ordinis S. Augustini dilata fuit, ad præsens cessent; idcircò nos quieti, & tranquillitati, necnon Regulari obseruantiæ, ac prospero regimini eiusdem Ordinis opportunè prouisum esse cupientes, ac de singulari dilecti filij

nostri

nostri Ioannis Baptistæ Tituli S. Siluestri de Capite Presbyteri Cardinalis Pallori nuncupati, dicti Ordinis apud nos, & Apostolicam Sedem Protectoris, prudentia, fide, doctrina, & Religionis zelo plenam in Domino fiduciam habentes; Motu proprio, & ex certa scientia, & matura deliberatione nostris, eidem Ioanni Baptistæ Cardinali Protectori, vt Capitulum Generale totius Ordinis prædicti in festo Pentecostes anni proximè futuri 1645. hac in Alma Vrbe nostra in Domo Regulari S. Augustini eiusdem Ordinis omninò celebrandum indicere, & convocare, necnon in illis eiusdem Ordinis Prouincijs, in quibus desunt Definitores, & Discreti, Capitula Prouincialia, etiam extra tempus ad hoc Constitutionibus, seu Institutis regularibus Ordinis huiusmodi Apostolica auctoritate confirmatis præfixum pro eligendis Discretis, & Definitoribus ad effectum interessendi dicto Capitulo Generali, ita tamen, vt Capitulorum Prouincialium huiusmodi Præsidentes, iuxta prædictas Constitutiones, seruataque illarum forma, eligantur; etiam conuocare, necnon omnia, & singula alia, quæ ad effectum præmissorum erunt necessaria quomodolibet, & opportuna, iuxta formam earumdem Constitutionum, illaque itidem seruata facere, gerere, & exequi liberè, & licitè posit, & valeat plenam, & amplam facultatem Apostolica auctoritate tenore præsentium concedimus, & impartimur. Non obstantibus Coustitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac dicti Ordinis, etiam iuramento, confirmatione Apostolica, vel quauis firmitate alia roboratis, statutis, & consuetudinibus, præsertim illis, in quibus caueri dicitur, quod Capitulum generale sex mensibus ante illius celebrationem intimari, & conuocari debeat, priuilegijs quoque, indultis, & litteris Apostolicis eidem Ordini, illiusque Superioribus, Fratribus, & personis, quibuslibet in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innouatis. Quibus omnibus, & singulis illorum tenores præsentibus pro plenè, & sufficientèr expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad effectum præmissorum specialitèr, & expressè derogamus, cæterisque contrarijs quibuscumque. Datum Romæ apud S. Petrum sub annulo Piscatoris die 14. Decembris 1644. Pontificatus nostri anno primo.

M. A. Maraldus.

¶ Et ne numerus, ac multitudo Fratruum ad Capitulum conuenientium confusionem pariat, statuimus, ne ad huiusmodi Capitulum conueniant, nisi Reuerendiss. Pater Prior Generalis Ordinis, Prouinciales omnium Prouinciarum, ac Vicarij Congregationum, Diffinitores similitèr, ac Discreti ipsarum: præter quos venire quoque teneantur Priores, ac Regentes Conuentuum Generalium Italiæ, si in Italia Capitulum celebretur, & quotquot à Reuerendissimo P. Generali per litteras publicas, vel priuatas ad prædictum Capitulum vocati fuerint.

Num. 6.
Ex Constit. Ordin. 3. part. cap. 3. §. 3.

ROMANA PRÆTENSÆ PROROGATIONIS Capituli Generalis.

UT In futurum Comitijs Generalibus modus magis certus, & fixus stabiliretur in Ordine Fratrum Eremitarum Sancti Augustini, san. mem. Sixtus V. præuia narratiua præcedentium consuetudinum, ac temporum, in quibus convocari solebat Capitulum Generale, præfiniendum mediante specialissimo Diplomate duxit, quod ab inde, & in posterum, perpetuisque futuris temporibus singulo sexennio celebraretur in Festo Pentecostes Generale Capitulum, *in quo* (sunt verba præcisa eiusdem Diplomatis, seù Breuis dati per extensum ad partes, *Summ. num.* 1.) *semper nouus Prior Generalis eligatur, & nunquam idem confirmetur*: Idque reuerà sanciuit Motu proprio, & ex certa sciencia, & Apostolicæ potestatis plenitudine per verba inductiua legis generalis in dicto Ordine seruandæ, vt ibi: *Statuimus, & ordinamus.*

Et quoniam sæpiùs contingit, vt leges huiusmodi quantumuis Canonicæ nimis, & salutares, tractu temporis exolescant, vt inuiolabile idcircò robur Pontifex adijceret huic suæ Constitutioni, sub §. 4. eiusdem Breuis, seu Motus proprij, *In virtute sanctæ obedientiæ* (sunt paritèr ipsissima verba) *& sub excommunicationis sententia eo ipso per contrafacientes incurrenda*, præcepit: *Quatenus singulo sexennio ad noui Prioris Generalis dicti Ordinis electionem quibuscumque rebus posthabitis procedant*, addito, quod, *nec ipsi*, scilicèt Professores eiusdem Ordinis, *seu tunc existens Prior Generalis, aut quiuis alius quacumque Dignitate, etiam Cardinalatus honore fulgens, seu ipsius Ordinis Protector, quacumque de causa, etiam vrgentissima, confirmationem, siue extensionem dicti Officij in aliud etiam breuissimum tempus à Romanis Pontificibus Successoribus nostris, & Sede Apostolica petere, & obtenta, vti audeat, vel præsumat.* Concludendo finalitèr: *Itaùt elapso dicto sexennio, prædictum Officium Prioris Generalis ipso iure vacet, & vacare censeatur, decernentes alitèr factas electiones, & confirmationes nullas, & irritas, nulliusque roboris, vel momenti fore, & esse.* Additis in finali §. 5. alijs derogatorijs effrænatissimis, vt latius in *dicto Summario, num.* 1. & Bullario impresso Ordinis Eremitarum, *fol.* 365.

Cum igitur ad normam huius specialissimæ Constitutionis debuisset in proximo imminenti Festo Pentecostes deueniri ad celebrationem noui Capituli Generalis, placuit, forsan vt in eorum Officio, ac munere perseuerarent, duobus PP. Assistentibus sub die 17. Maij 1690. preces porrigere sa. mem. Alexandro VIII. & sub prætextu bellicorum motuum expetere prorogationem ipsius Capituli, & consecutiuam confirmationem Prioris hodierni Generalis Proc. Generalis, aliorumque Assistentium, & Officialium, vt liquet ex tenore precum porrectarum, & existentium in Secretaria Breuium, & vberius in *Summario, num.* 2. At quoniam nullam prorsus fecere mentionem de præmisso specialissimo, ac prægnantissimo Motu proprio, indiuiduaque Constitutione san. mem. Sixti V. edita pro salubri Regimine huius Ordinis, quinimò per manifestam obreptionem perperàm supposuerunt, quod noua Capituli Generalis conuocatio facienda tantummodo foret ex vi Constitutionum, seu Statutorum Ordinis, vt hab[illegible]ur expressum in

narra-

narratiua Breuis, de quo proximè, facile fuit illis à benignitate Principis extorquere sub die 22. Iulij proximi præteriti Breue suspensiuum, seù prorogatorium Capituli Generalis ad triennium, quemadmodum legitur in *Summ. num.* 3.

Ignaro igitur huius rei penitùs existente toto Ordine, omnibusque Vocalibus, Magistris, & Professoribus, censuit nuper hodiernus Prior Generalis Typis excusum Breue eiusdem san. mem. Alexandri distribuere, & publicare; sed illius tenore, ea, qua decet veneratione perpenso, non leuis irrepsit scrúpulus in Ordine vniuerso super eiusdem Breuis insubsistentia, & quemadmodum si in humanis adhuc existeret Summus ille Pontifex, nedũ ab eius Oraculo facile fuisset habere huius dubij solutionem, sed etiam obtinere reuocationem gratiæ subreptitiæ, & obreptitiæ, ità ad præsens habendo recursum ad PP. Eminentissimos Ecclesiæ viduatæ Directores humilitèr implorant, quatenùs agnita prædicta subreptione, & obreptione, placeat consulere, & tranquillo Regimini Augustinianæ Familiæ, & omnium subditorum consciẽtiæ expauescentium, ne propter formidabile Anathema contentum in Motu proprio Sixti V. se ipsos illaqueent, obedientiam præstantes intruso.

Et sanè res videtur esse manifesta, siquidem si vnquam fas est aduersus consimilia Breuia excipere de defectu intentionis in concedente, non obstantibus quibusque clausulis de more apponi solitis, ex quo iuxta *Text. in cap.* 2. *de rescript.* gratia quælibet continet in se connaturalem illam, & implicitam conditionem, *dummodò preces veritati nitantur.* Hic est casus præcisus, quia & adest artificiosa taciturnitas eiusdem Motus proprij tàm enixi, & indiuidui, & in Breui contrario non legitur vlla clausula impeditiua, quo minus detur de defectu intentionis, sicuti vbi etiam concurreret clausula *sublata* (quæ in casu nostro non intercedit) necessarium esse, annotarunt *Marescot. var. resol. lib.* 2. *cap.* 1. *num.* 89. *& seqq. & num.* 104. *& seqq. Gonçal ad regul. Cancell. gloss.* 66. *num.* 26. *& seqq.* & sequitur *Garc. de Benef. part.* 6. *cap.* 3. *num.* 88. & magistralitèr *Rot. in decis.* 9 *num.* 1. *& seqq. & per tot. coram Zaratt. aliàs decis.* 247. *part.* 11. *recent. Cardin. de Luca de Pension. discurs.* 50. *num.* 9. *& alibi passim.*

Quod autem non fuerit facta mentio memorati Motus proprij Sixti V. patet ex lectura ipsius Breuis dati in *Summ. num.* 3. in quo simplicitèr supponitur, quod tempus noui Capituli Generalis aduenire t tantummodò *iuxta Constitutiones Ordinis prædicti*, non autem quod obstaret specialissima Bulla tot pœnis, & clausulis impeditiua cuiuslibet extensionis, proindeque quodcumque priuilegium posterius quamcumque gratiam, quodcumque Breue desuper impetratum esse penitùs subreptitium, & laborare defectu intentionis, iuxta magistrale *cons. Roman.* 327. *per tot.* perpetuò dixit *Rota, vt in decis. cumulatis coram Peutinger. decis.* 104. *num.* 12. *& seqq. vbi sub num.* 3. quod non obstante generica derogatione, non constito de speciali scientia Papæ circa aliquod particulare Breue, vel priuilegium antecedens, gratia corruit ex defectu intentionis, *& sub num.* 16. *cum Io. Monach. in cap. In generali* 81. *num.* 13. *&* 13. *de regul. iur. in* 6. subdit, quod quæcumque verba generalia posteriora Papæ non comprehendunt ea, quæ specialitèr alio iure sunt prohibita, & sequitur eadem *Rot. decis.* 189. *sub num.* 9. *part.* 15. vbi ad normam *cap. Cæterum, & cap. Super litteris de rescript.* considerando antecedentes litteras Apostolicas prohibitiuas, & conceptas clausulis valdè am-

plis,

plis, inquit, gratiam esse defectiuam intentionis, vel vitio subreptionis laborare, nisi fuerit facta mentio de omnibus, quæ mouere possent Pontificem ad denegandas litteras posteriores, *& decis. 372. num. 1. & seqq. & signantèr num. 4. & seqq. part. 17. & coram eodem san. mem. Alex. VIII. decis. 115. sub num. 3.* vbi quod si certior Pontifex fuisset effectus de præcedenti limitatione, seu restrictione Apostolica, illam non mutasset, vel saltem difficilius; *& decis. 239. num. 4. & 5.* vbi repetit hoc ipsum: Et maximè quando præcedens Constitutio prodijt per viam legis generalis, & è conuerso litteræ posteriores emanarunt per viam priuilegij, vel gratiæ specialis, vt in *decis. 46. per tot. & signantèr num. 5. & seqq. coram eodem Sanctissim.*

Fortius verò ponderatis, vt diximus, specialitatibus, & clausulis prægnantissimis, quæ concurrunt in prædicto Motu proprio Sixti V. quoniam ad differentiam Constitutionum Ordinis, quæ solum vt terminatiuæ Capituli antecedentis fuerunt enarratæ, in primis in ipso vetatur confirmatio, vel reelectio Prioris Generalis, quando præcedentèr (vt præmisimus) non erat hoc prohibitum, immò aderat expressa reseruatio consensus Summi Pontificis in contrarium, vt videre est *Summar. num. 4.* negari etenim non potest, quod si san. mem. Alexander sciuisset vice Constitutionum Ordinis, quæ præseruant consensum Pontificis in contrarium, extare specialem determinationem Apostolicam, vel penitùs gratiam denegasset, vel saltem difficilius ad illam inclinasset, & hoc exuberat ex vulgatis ad subreptionem, seu defectum intentionis inducendum, vt ait *Felin. in cap. Super litteris, num. 8. de rescript. Soccin. Sen. cons. 260. num. 2. lib. 2. Rota coram Bich. decis. 189. num. 17. & decis. 302. num. 5. & seqq. & coram Dunozzet. Iun. decis. 731. num. 45. & decis. 54. num. 32. part. 13. rec.* & alibi quotidiè.

Eòque etiam certius, quia nòn solum eadem Constitutio Sixtina iuxta effrænatissima verba superius registrata habet tot derogationes ad futuras confirmationes, in quibus sanè terminis, nisi eidem præcedenti Constitutioni appareat derogatum, intrat semper defectus voluntatis in concedente, vt punctualitèr tradit *Ferret. cons. 323. sub num. 8. §. Et multò minus cum seqq. ac per tot. Mar. Antonin. var. resolut. lib. 1. resolut. 5. num. 18. Rota in Oriolen. Decimarum 21. Maij 1586. coram Oran.* plenè *Gonçal. ad regul. Cancell. glos. 36. sub num. 12. ex vers. Tertiò quæro, cum plurib. seqq. Donat. in prax. Regul. tom. 1. tract. 14. quæst. 1. num. 10. & 11.*

Verumetiam sub pœna excommunicationis vetatur, ne, siue Fratres Ordinis, siue ipse Prior Generalis, siue, quod magis est, ipsemet Eminentissimus Ordinis Protector, valeat etiam ad breuissimum tempus à Romanis Pontificibus successoribus, & Sede Apostolica confirmationem, vel extensionem Officij Generalatus petere, vel eadem confirmatione, aut extensione obtenta vti; quamobrem ob id duo resultant annullatiua Breuis, & implicatiua per necesse defectus intentionis, alterum nempè, quod exoritur ex comminatione anathematis, cuius mentione non facta, rescriptum annullatur, quemadmodum rescribendo Episcopo Imolen. propriamque gratiam annullando sanciuit Innocent. III. *in cap. Dilectus 26. de rescript. & annotarunt relati per Menoch. de arbitr. cas. 201. num. 38. cum cæteris per Barbos. in dicto cap. Dilectus, num. 1. & 4.*

Et alterum, quod stante prædicta prohibitione impetrandi, ac vtendi, debebat specialissimè de huiusmodi duplicato præcepto, seu prohibitione fie-

fieri mentio in rescripto, seù Breui, aliàs namque illius nullitas, subreptio, ac intentionis defectus emergit incontrouertibilis, teste *Bart. in l. Neminem, C. de Canon. frument. Vrbis Rom. lib.* 11. quem optimè refert, & sequitur *Monet. de commut. vltim. volunt. cap.* 7. *num.* 181. *Rot. decis.* 5. *num.* 4. *& n.* 9. *cum sequent. coram Duran.* vbi cum eadem *Rot. coram Mant. decis.* 267. *n.* 8. alijsque subdit, vtriusque obstaculi, nempè de non petendo, & vtendo faciendam esse mentionem, quia etiam sublato vno obstaculo, non censeretur alterum sublatum, quod & ante eum firmauit *Paris. cons.* 43. *num.* 14. *cum seqq. & cons.* 96. *num.* 92. *& seq. lib.* 1. & punctualissimè viden. *Rota decis.* 148. *num.* 13. 14. *&* 15. *part.* 19. *recent.*

Et ex his non oporteret descendere ad contrarias clausulas derogatorias appositas in Breui san. mem. Alexandri, dum Authoritates omnes vsquedum in vnoquoque obstaculo, seu propositione allegatæ loquuntur (prout hic) etiam si superaccedant derogatoriæ generales, quales dicuntur illæ, quæ continentur in dicto Breui, videlicèt illa *L. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis*, cum extensione clausulæ, *quorum tenores*: istæ etenim generales derogatoriæ sequuntur naturam gratiæ principalis, seu dispositionem, cui adijciuntur, & consequentèr dum ex hucusque animadversis, ac firmatis manibus palpatur, quod Princeps per taciturnitatem veri, fuit vndique circumventus, ac præsupposuit dumtaxat obsistere Constitutiones Ordinis, quæ minimè vetabant reelectionem, & confirmationem, immò ex vrgentissima causa, ac de consensu Summi Pontificis illam expresè permittebant, quando diametralem in oppositum, non obstante qualibet vrgentissima causa, Motus proprius Sixtinus vetat per Pontifices successores à Sede Apostolica fieri extensionem, prorogationem, vel confirmationem Generalatus, & Capituli respectiuè, certè præfatæ derogatoriæ generales non sunt idoneæ ad supplendam illam intentionem, quæ per ignorantiam facti defuit in concedente, sed sicuti diximus, tanquàm ad gratiam accessoriæ corruunt cum ipsa gratia, vt post *Soccin. Sen. cons.* 164. *num.* 7. *lib.* 2. *Ferret. cons.* 32. *num.* 52. *respondit Rota coram Seraph. decis.* 981. *num.* 7. *&* 8. & latius *in Diennen. Prioratus* 22. *Maij* 1656. §. *Cum etenim, coram Verosp. confirmata decis.* 292. *num.* 5. *part.* 12. *recent. & coram Coccin. decis.* 2170. *num.* 7. *& decis.* 131. *num.* 3. *&* 4. *coram Dunoz. Iun.* & in proposito clausulæ *quorum tenores*, quæ nunquam supplet defectum intentionis, nullamque habet efficaciam quoties Papa, si sciuisset, non ita facile rescripsisset, *Paris. cons.* 74. *num.* 53. *lib.* 4. *Rota dict. decis.* 981. *num.* 8. *coram Seraphin. Donat. in prax. Regul. tom.* 1. *tract.* 9. *claus.* 9. *num.* 8. *Spad. cons.* 53. *num.* 13. *lib.* 1. *eadem Rota apud Marchesan. de commiss. par.* 1. *fol. mihi* 639. *num.* 7. *& seqq.* vbi pulchrè, & latè respondet ad dictam clausulam, & post eam egregiè paritèr dictum fuit in dicta *decis.* 148. *num.* 19. *par.* 19.

Et ne diuagemur per Authoritates specificas quidem, familiares, & perstringentes, vbi habemus casu in indiuiduo examinatum, & definitum, sufficiet habere se remissiuè ad *Roman. in dicto magistrali eius cons.* 327. *per tot.* vbi cum quæreretur de quibusdam litteris Apostolicis impetratis à Martino V. per quendam Hermannum, cum clausulis derogatorijs amplissimis, ac etiam (prout hic) Motu proprio, & ex certa scientia, & cum clausula, *quorum tenores*, pariformitèr extensa in reuocatione contrariorum, nihilominùs quia in eisdem litt[eri]s Martini supponebatur, solum obstare gratiæ Constitutio-

tio-

ctionesEcclesiæ, nec apparebat expressum, quod obstabat Constitutio specialis pro regimine eiusdem Ecclesiæ edita per Bonifacium IX. robustè demonstrat, & firmat corruere ex defectu voluntatis, & intentionis gratiam, & concessionem posteriorem, *quia difficilius*, vt ipse ait, *derogasset Martinus dictæ Constitutioni, si narrata sibi fuisset veritas, scilicèt, Constitutionem ipsam fore Bonifacij IX. & non Constitutionem Ecclesiæ*, nàm vt subdit sub num. 3. *difficilius dispensatur contra id, quod ex maiori authoritate roboratur, vt est authoritas Papæ*, idque comprobat successiuè per totum consilium pluribus rationibus frustrà transcribendis, illudque tanquam, vt præmisimus, magistrale secuta est in eisdem ferè terminis, *Rot. in Frisingen. Indulti coram bon. mem. Albergato, quæ est dicta decis.* 148. *part* 19. vbi cum Baro Sigismundus de Koller obtinuisset à san. mem. Clemente X. Præposituram Ecclesiæ Frisingen. cum dispensatione à residentia circa ipsam Ecclesiam de tempore quo resideret apud alteram Ecclesiam Ratisbonen. dictum fuit, quòd cum ipse expresserit solummodò extare Statutum Ecclesiæ Frisingen. præceptiuum residentiæ, & prohibitiuum dispensationis, nullaque mentio facta fuerit de Constitutionibus Apostolicis, quæ prædictam residentiam præcipiebant, gratia, & Breue non erat exequendum.

Cum itaque præter generales, ac specificas Authoritates, ipsamque palpabilem rationem, habeamus casum à tàm insigni Canonista, & Doctore decisum, & nuper etiam à Sacra Rota comprobatum, & canonizatum, dicimus habere pro hac parte casum legis citrà necessitatem progressus vlterioris, vel alterius responsionis ad omnia motiua, ad omnes clausulas, quæ ex opposito pro substentatione Breuis possent circumferri, vt cum *Ias. alijsque clamat Vincent. de Franch. decisione* 363. *num.* 4. *Surd. decision.* 229. *num.* 36. *Rot. coram Coccin. decis.* 2121. *num.* 18. *vers. Quorum decisio; & decision.* 122. *in fin. part.* 5. *rec. & decis.* 106. *num.* 7. *& decis.* 560. *num.* 3. *p.* 18.

Solumque ad exuberantiam vltrà præmissa subnectimus, quod etsi in præfatis circumstantijs etiam generalitèr vno ore tradatur à scribentibus, quod gratia Motu proprio, ex certa scientia, & ex plenitudine potestatis numquam tollat exceptionem respicientem defectum intentionis, vt notant *Soccin. Ægid. Seraphin.* aliaque cumulati apud *Spad. consil.* 102. *num.* 1. *lib.* 2. *& Rota coram Rembold.* edita in eodem casu, & successiuè registrata penes eumdem *Spad. sub num.* 9. *&* 17. & iungendo efficaciam derogatoriarum generalium, concludit *Peregrin. consil.* 2. *num.* 29. *lib.* 1. *Rota post Nouar. in Summ. Bullar. decision.* 13. *num.* 4. *& decis.* 351. *num.* 18. *part.* 17. *rec.* Nihilominus cessat etiam in facto virtus operatiua harum clausularum, ex quo, vt liquet *dicto Summario, num.* 2. porrectum fuit à duobus PP. Assistentibus, in eorumdem munere perseuerare studentibus, memoriale effectiuum, vnde vltra quod posset citrà iniuriam obiectari fraus aliqua, vel circumuentio, ex quo, nec ipsi, nec Prior posteà Generalis possunt licitè allegare ignorantiam propriarum Bullarum, vt in fortioribus contra Superiores alterius Collegij Regularis, pro inducenda mala fide, considerauit *Rota coram clar. mem. Card. Cerr. decision.* 816. *num.* 13. Adhuc palpatur, vt diximus, in facto, quod Breue non emanauit Motu proprio, & per consequens eo minus impeditur mandare de defectu intentionis, vt post *Adden. ad Burat. decis.* 621. *num.* 26. *monebat Rot. in decis.* 351. *num.* 1[illegible]. *&* 17. *part.* 17. *vbi etiam sub num.* 18. subiungit, quod etiam, non obstante Motu proprio, valet opponi de defectu

inten-

intentionis, ex quo Motus proprius non supplet Pontificis voluntatem, sed tantum releuat ab onere iustificandi narrata, vt iuxtà doctrinam *Io. Andr. in cap. Si Motu proprio, de præbend. in 6. Gonçal. ad regul. Cancell. glos. 32. num. 5. Rot. coram Seraphin. dec. 398. num. 1. & cor. Merlin. dec. 318. num. 3. & seqq.*

Atque ex his pariformiter vanum efficitur respondere ad causam impulsiuam motuum bellicorum, sub quorum prætextu fuit à benignissimo Principe extorta gratia, quoniam non solum notorium est, quod non obstante tali asserto impedimento, in Vrbe de facto celebrantur talia Capitula Generalia aliorum Ordinum, Monasteria, & Prouincias vltrà Mare, & vltrà Montes habentium, itaut nuper pacifice ex Hispanijs, Lusitania, & Canariensi Prouincia de eodem gremio familiæ Augustinianæ ad Vrbem aduenerint alij Religiosi, verùm etiam ex hac causa Bellorum quid inde potest emergere? Potuitnè sanari defectus, tàm manifestus intentionis in Pontifice? Quin etiam quando dicere vellemus, quod causa bellorum foret nedum vrgens, sed vrgentissima, eccè quod incidimus in litteram Constitutionis Sixtinæ, quæ sub pœna excommunicationis, *quacumque de causa etiam vrgentissima*, vetat peti per quemcumque, siue Fratres Ordinis, siue Priorem Generalem, siue etiam Eminentissim. eiusdem Ordinis Protectorem hanc extensionem, prorogationem, aut confirmationem Officij, & obtenta vti: nàm prædicta verba Bullæ Sixtinæ, *quacumque de causa, etiam vrgentissima*, sunt apta comprehendere casum belli, aliosque omnes casus, qui regularitèr non compræhenderentur, vt cum *Surd. decis. 283. aduertit Mastrill. de Magistratib. lib. 1. cap. 22. num. 49.* Et in omnem casum erat exprimendum, quod Sixtus prædecessor aduersus ea, quæ à contrario permittebatur in Constitutionibus Ordinis sub Breue dumtaxat enunciatis, vetabat peti, & vti posse talibus confirmationibus, etiam ex quacũque vrgentissima causa, & erat paritèr exprimendum, quod alij Regulares nihilominus Comitia Generalia cogebant, aliàs namque semper redimus ad idem, quod vel nullatenus Pontifex Breue concessisset, vel difficilius, & vtrumque ad gratiæ annullationem exuberat, ex iam *alleg.*

Audiuimus, quod quoddam afferri prætenditur exemplum san. mem. Vrbani VIII. quoduè est vnicum à Constitutione Sixtina vsque ad præsens; sed præterquam sufficeret respondere, quod exemplis non sit iudicandum, vt per *Mandell. cons. 142. num. 8. Buccaferr. cons. 91. num. 35. Chartar. decis. Mediol. 66. sub num. 53. vers. Nec scrupulum, & num. 71. cum seq. Card. de Luca de præmin. disc. 13. num. 23. & dixit etiam Rota cor. eodem san. mem. Alex. VIII. dec. 160. num. 8.*

Adhuc & tale exemplum non fraternizat cum nostro, quoniam si placuit illi Principi confirmare tunc Priorem Generalem, etiam de nouo illum deputauit, & constituit, vt ibi, *& quatenus opus sit, de nouo facimus, constituimus, & deputamus*, ac proptereà cum in casu nostro processum fuerit, non per viam nouæ deputationis, & constitutionis, sed per viam simplicis confirmationis, ac demum bellum tunc exasperans Italiam, Statum dilaniaret Ecclesiasticum, nemo non videt, quàm sint diuersæ circumstantiæ, ita vt ex illarum variatione, nec regula, nec exemplum possit vrgere, vt in proposito responsum fuit per *Rot. apud Postb. de manut. dec. 197. num. 10. vers. Non obstat resolutio, & cor. Dunozett. Iun. dec. 842. num. 9. vers. Postremo non releuat.*

Accedit, quod nec prædictum exemplum in suis terminis habuit subsistentiam, quia paulò post ad Pontificatus apicem euecto san. mem. Innocentio X. licet non esset effluxum tempus in Breui Vrbani VIII. prorogatum, incontinenti deuentum fuit ad nouam Capituli celebrationem, & quod magis est, nec etiam iudicatum fuit oportere (agnita fortè nullitate Breuis præcedentis mentionem facere) eiusdem Breuis, sed vt patet in *summ. num.* 5. fuit intimatum, ac celebratam nouum Capitulum Generale per litteras clar. me. Card. Palloti tunc Ordinis Protectoris, mediante insertione Breuis Innocentiani, nullam de altero Breui Vrbani mentionem, vt præmisimus facientis, quando etiam si habitus, fuisset Prior tunc Generalis pro benè confirmato ad ipsum spectasset conuocatio noui Capituli Generalis, vt sancitur in Constitutionibus *summ. num. 6.* Proindeque quale nàm fundamentum statui potest super exemplo, quod nec etiam in suis diuersijs circumstantijs sortiri potuit effectum suum? vt dicitur de collationibus, vel præsentationibus ineffectuatis, quæ in nihilo attenduntur, iuxta *consil. Galderin. 12. de Iurepatr. & theoricam Kipæ in cap. cum Ecclesia Sutrina, num. 93. vers. Quinto requiritur, de caus. possess. & propriet. Rot. coram Burat. dec. 476. num. 5. & dec. 285. num. 10. part. 5. rec.* & frequentèr in alijs.

Concludendo igitur, adeò euidentèr Breue san. mem. Alexandri claudicat in defectu voluntatis, cum manifesta, si fas est dicere, circumuentione ob taciturnitatem veri ab impetratoribus factam, vt si (quemamodum diximus) mors Summi Pontificis non impediret recursum ad eundem concedentem, facile crederemus ab eo reportare rescriptum declaratiuum, quod talis non fuerit illius intentio, vt passim ab ipsismet Summis Pontificibus proprias gratias annullantibus rescriptum legimus *in tot. tit. de rescript.* & alias declarauit san. mem. Alexander VII. vt habetur in *dec. 198. num. 23. cor. Priol.* Et ita, & c. saluo, & c.

Ansaldus de Ansaldis Aduoc.

ROMÆ, Typis Reu. Camer. Apostol. 1691. Superiorum permissu.

Sapientissimi Doctores Salmanticenses, & Complutenses dignentur de rationibus in hoc libello allegatis iudicium efformare.